

29. 1717, 6 8.
D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE EQ,
QVOD
MEDICAMENTA
SIMPLICIA COMPOSITIS
SINT PRÆFERENDA,
QVAM
FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,
DECRETO ET AUTORITATE
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
DN. JOANNIS PHILIPPI
EYSELII,

PHILOS. ET MED. DOCT.
ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMI,
EJUSDEMQUE FACULT. ASSESS. ORDIN. ET SUBSENIORIS GRAVISSIMI,
P. t. DECANI, ACADEMIA IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM
COLLEGÆ, P. L. C.

DOMINI PATRONI, PROMOTORIS AC HOSPITIS SUI
ÆTATEM DEVENERANDI,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
RITE CONSEQUENDI
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICET.


JOANNES FRIDERICUS MOSE,
VRATISLAVIA-SILESIUS,
DIE XXXI. MARTII MDCCXVII.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,
HORIS CONSVENTIS.

ERFORDIE, LITERIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

**DEO,
PATRIÆ,
AMICIS**

**HANC DISSERTATIONEM
INAUGURALEM**

**SACRAM ESSE JUBET
AUTOR.**



J. J.

P R A E F A M E N.

Vnde quidem vereor, non paucos fo-
re, quibus me offenditum atque odi-
osum præsentis hujus Disputationis
titulò reddam, quod materiam
hancce longè aliter pertractandam sumserim,
quam à plurimis jam annis eadem in Medicina
pertractata & usū recepta fuerit, nec non à plu-
rimis Medicis in praxi pariter approbata; Ast
cum haud raro contrarium & satis infelicem
deprehendimus effectum in eorum praxi, qui
medicamenta composita magis simplicibus in
morbis pellendis anteponere non dubitant,
hinc facile me ab iis veniam impetraturum fir-
miter confido, generalioribus enim in funda-
mentis legitimè informati, & verè rationalem
medicinam adamantes, judicabunt æquitati
conformiter, alii sentiant, quid velint: Totum
autem hujus rei fundamentum innititur doctrina

A 2

na

na physica, cum Medicina ibi incipiat, ubi physica definit, non artificialis, quæ suis quidem laudibus non defraudanda, sed simplicissima i.e. per nulla artificialia instrumenta coacte produeta, ad hanc verò & physicam & Medicinam eruendam & inveniendam, nec ratio neque experientia sola sufficient, siquidem harum scientiarum fulcra de hominis principiis constitutivis certi & determinati quid suppeditare minimè possunt sufficienter, adeoque magis convenienter eorundem Principiorum constitutivorum principia cognoscendi ex historia creationis hauriri possunt ac debent, quæ Physico atq; Medico Christiano testimonium illius experientiae perhibet, quæ omni exceptione major est, quod jam in præsenti tractatione *de Medicamentis simplicibus magis præferendis compositis* tentandum ac demonstrandum; ut autem illud feliciter succedat in restitutionem Artis, & multorum ægrorum emolumentum, illius præsidium imploramus, ex cuius revelato testimonio, omnem scientiam humanam superante, nimirum divino, potissimum fundamentum probationis desumturi sumus.

§. I. Juxta

§. I.

Juxta indigitatum in Praefatione Principium cognoscendi sequentia jam circa Principia constitutiva humani corporis viventis breviter venuit annotanda : Corpus humanum igitur adinstar reliquorum corporum naturalium omnium, ex duobus Principiis ab initio fuit productum, videlicet in historia creationis cœlum & terram dictis, quod primum, sive sub nomine ætheris sumatur, id per me licet, modo ejus substantia sit simplicissima, hinc subtillisima, summe mobilis, & omnia corpora permeans & replens, unde aptius Principium activum dici mereatur; Alterum verò magis compositum Terræ nimirum, variis generis sub se comprehendat partes constitutivas, utpote aquosas, terreas, lapidosas, salinas & sulphureas, quarum proprietates à DEO concreatas, & in omnibus corporibus naturalibus diversimodè præsentes, nemo sanæ mentis in dubium vocabit, mediantibus quibus, & in quibus primum principium sic dictum activum suam operationem & activitatem exerit, quare hoc ultimum magis convenienter Principium passivum appellare mihi licitum erit.

§. II.

Hicce aliis sic dictus æther, cui Creator sensationem in corporibus animatis & viventibus specialiter concedere voluit, & in homine quatenus pariter corpus animatum & vivens est, constituit aliis sic dictum Principium vitale seu spiritus animales, qui jam sub nomine Principii activi sentientis, ubi de homine ser-

mo erit, impostorum veniet : Alterius autem Princi-
pii passivi partes constitutivæ in corporibus animali-
um & hominis diversimodè inter se mixtæ humores
generaliter , in specie sanguinem constituunt , quæ
principia inter se intime & proportionaliter diversi-
modè mixta, producunt certam quandam temperiem
seu crasim autoribus dictam , & hoc Principium Acti-
vum sentiens omnes omnino functiones in toto cor-
pore mediantibus hisce humoribus peragit , concur-
rente simul regimine mentis quibusdā in actionibus,
quamdiu hæc duo principia legitimè inter se mixta re-
manent, ita ut spiritus animales in motu libero æqua-
li & regulari fuerint constituti, ac humores quoad su-
as partes constitutivas intimam inter se commiscelam
habent , tamdiu sanitas nostra integra dicitur, cum
non nisi sani existamus , quamdiu nullæ functiones
fuerint læsæ ; ast cum nos quotidie hæcce nostri cor-
poris principia per crassiores errores in diæta destrua-
mus , quid mirum ? si corpus nostrum ad varia mor-
borum genera concipienda prædispositum reddamus.

§. III.

Visò igitur paucis statu naturali ad præternatu-
rale nunc erit accedendum : Hocce Principium a-
ctivum sentiens & quoad quantitatem modò supe-
rius indigitatō, diversimodè vitiosum redditum, nec
non partes humorum constitutivæ ad pravam con-
ditionem redactæ, corpus efficiunt morbosum ; Si-
quidem Principium activum sentiens multis vitiis ex-
positum est, sæpius maxime periculosis , ratione ef-
fectus,

fectus, seu morborum exinde productorum, videlicet potissimum ratione sui motus, quod ut omne fluidum vel accelerari vel retardari vel denique confusum reddi potest, tam quoad motum progressivum seu influum, quam intestinum, prout illud varia Symptoma non obscurè monstrant, unde quæso, omnes quotquot sunt inflammations, immediate suam trahunt originem, sanè non à circulo sanguinis læso, sed à motu spirituum accelerato, à quo principio deducere tentabis dolores, profecto non semper à solutione continui, sed à Principii Activi sentientis motu irregulari, à quo pariter Epilepsia, Spasmus & Aoplexia derivanda sunt, nimurum à motu confuso atq; summe accelerato, ex opposito in melancholia, ecstasi, Lipothymia &c. plaine contrarium motum spirituum animalium irregularem deprehendes, puta magis retardatum,

§. IV.

Dantur autem longe plura vitia ratione humorum, quæ in tot commode dispescuntur classes, quot partes sanguinis constitutivæ occurruunt vel excudentes vel deficientes, sic ratione partium aquosarum abundantium exsurgit hydrops vere sic dictus; excedentibus partibus salinis variii generis prodit scorbutus, & magis abundantibus partibus sulphureis isterus producitur & maculæ hepaticæ, porro partibus terreis atque lapidosis magis excedentibus oriuntur calculi, vomicæ pulmonum, aliisque tumores tartarei dicti &c. probè autem notandum, quod hæ

hæ partes nunquam solitariè & simpliciter peccent, sed semper aliæ simul admixtæ vitiosæ coexistant, hinc quoque aliæ species morbi resultabunt; de quibus virtus humorum testatur virtus ratio, ubi varia alimenta ex diversis partibus constitutivis excessivè in corpus perveniunt, uti sunt acida, acria, amara, pinguia, salsa, spirituosa &c. unde non mirum, si virtus magis composita, & hinc etiam magis complicati atque difficilioris curationis morbi prodierint.

§. V.

Hæc corporis humani elementa hōc modō vitiata, propriè & solitariè causas morborum præsertim internorum constituunt, quicquid alii loquantur, & speculativè terminis suis theoreticis doceant de Archæo, fermento, Cacochymia, Acido & Alcali &c. pro genuina morbi causa allegantes, unde non nisi confusè ac minus legitime causarum morbificarum series ac natura in curationibus investigatur, & ordinarie juxta solum nomen morbi medicamenta ejusdem nominis empiricè exhibentur v. g. in febre antifebrilia, in hydrope antihydropica, in epilepsia antepileptica, in dysenteria antidyserterica, in apoplexia antapoplectica & sic porro, ut adeo miser artis tyro, quō se ulterius vertat, frustra & cum detimento ægroti ejusmodi nominalibus medicamentis hactenus adhibitis, nesciat; interī tentabo juxta fundamenta generaliora ab initio promissa & præmissa, hanc causarum seriem therapiæ rationali magis convenienter declarare, unde in subsequentibus medi-

medicamentorum tam simplicium quam compositorum vires & ratio applicandi certius quam nominatiter demonstrentur.

§. VI.

Ita in omnibus morbis proprie internis i. e. qui à causis internis non nisi immediate proveniunt, duplicit generis dantur causæ vel externæ, quæ morbum præcedunt, vel internæ quæ ipsum immediate constituent: Externæ dicuntur ~~accordantia~~ seu primæ & occasioales, quæ saltem respectu diversi temporis differunt, & sex Res sic dictæ non-naturales sunt, quæ in corpore vitia humorum atque spirituum sub nomine causarum internarum, alias etiam dictarum antecedentium successive generant atque producunt, ac tam diu ~~accordantia~~ dicuntur; quam primum verò eadem res non-naturales unam harum causarum internarum diutius jam in corpore delitescentium immediatè excitant atque in actum deducunt, tunc talis causa interna propriè antecedens dicitur, altera verò interna ab hac antecedente simul commota, ita ut immediatè morbum producat & nomen causæ proximæ seu formalis seu continentis obtineat, tunc demum tales res non-naturales causarum occasionalium nomen merentur,

§. VII.

Ut autem hic nexus & ordo causarum pateat in exemplo, supponamus hominem respective adhuc sanguinum, qui per plures annos circa sex res non-naturales tales committit insigniores errores, ex quibus sa-

B

lia

lia in corpore præternaturaliter adaugentur, & motus spirituum acceleratus introducitur, si jam ultimato ab aliquâ re nonnaturali nunc salia in corpore delitescentia iñmediatè vehementius commoveantur, eadem salia causæ antecedentis nomen obtinent, & motu spiritu animalium acceleratum producunt, qui causa proxima exinde provenientis morbi dicitur ; si vero vice versa alia res non-naturales magis in spiritus immmediatè agunt, tunc hic motus spirituum acceleratus dicitur causa antecedens, quæ salia excitat & commovet, mediantibus iisdem ut causa proxima morbum producit.

§. II X.

Non possum autem non, quin pauca adhuc de sic dicta autoribus malignitate obiter saltem adjiciam, cum plurimis in morbis acutis & sic dictis malignis illam communiter pro genuina & vera causa morbi venditent, nullibi tamen adhuc ejusdem malignitatis formalem & rationalem conceptum deprehendere mihi licuit ; Ut autem constet, quid & de hac malignitate sentiam, cum & huic causæ nominalia medicamenta & simplicia & composita deprehendantur opposita sub nomine alexipharmacorum, hoc modò hanc malignitatem declarare liceat : Nimirū constat ex genuina doctrina pathologica generali, dupli modo peccare humores vitiosos in corpore, vel in excessu, vel in defitu : Piores in excessu peccantes dupli modo considerandi sunt, atq[ue] enim vere abundant, aut saltem apparenter, qui humores vere abundantes ex alimentis &

& potulentis inordinate diutius assumptis proveniunt, & Massæ Sangvineæ superficiarie saltem admixti, hinc nulla adeò periculosiora & graviora i.e. cum periculo vitæ conjuncta symptomata erunt metuenda, sed in tantum mitiora.

§. IX.

Apparenter autem saltem abundantes humores ex resolutione Massæ Sangvineæ resultant, quando videlicet principium activum sentiens in sangvine in motu suo intestino summè accelerato diutius constitutum, partes sanguinis constitutivas sèpius jam commemoratas à se invicem sejungit, ut hòc pactò aquosæ sub nomine sudoris expellantur, & mediantibus hisce ipsi spiritus animales, terreæ vero lapidosæ nec non salinæ, cum sulphureis sub titulo exanthematum seu efflorescentiarum diversarum pro diversitate subiectorum in habitu corporis externo sese sistentium apparent, & in qua resoluta Massa Sangvinea proprie formalitatem decantatæ illius malignitatis extra omnem controversiam consistere constanter statuo, quia vitali hòc succò resolutò ipsa vita in ejusmodi morbis acutis & malignis dictis adeò celeriter cessat ac perit: qualem duplè distinctam causam manifestè comprobat Purpura benigna & maligna, bubones benigni & maligni &c.

§. X.

Hisce breviter præmissis fundamentis generali oribus physicis, physiologicis, & pathologicis summè necessariis, jam videndum, quò modò ex iisdem

B 2 medi-

medicamentorum tam simplicium quam compositorum proprietates verè cognoscantur , ac utiliter & rationaliter non promiscuè adhiberi queant ac debeant , imo qua ratione simplicia Compositis magis præferenda sint ; Quippe ex iisdem principiis , ex quibus omnia corpora naturalia & ipsum corpus humanum productum est , pariter medicamenta tam simplicia quam composita constant , quoniam à Deo ab initio omnia , ut simplicia corpora naturalia creata sunt , à quorum principiorum diversimodè inter se mixtorum diversitate medicamentorum facultates aliæ atque aliæ omnino dependent . Primum principium , puta substantiam cœlestem seu ætheream , qvod ab initio activum dictum , unum idemque est ratione essentiæ in omnibus corporibus , proinde etiam in omnibus medicamentis , ratione vero quantitatis in hoc vel illo corpore valdopere differt : Alterum autem Principium nimirum passivum , ratione sua essentiæ i. e. quoad suas partes constitutivas majorem agnoscit diversitatem , hinc diversa substantia seu constitutio corporum naturalium & consequenter medicamentorum deprehenditur .

§. XI.

Liceat autem horum medicamentorum simplicium proprietates paulò accuratius exponere , ut eō melius & magis distinctè eorundem modum operandi in corpore humano concipere queamus , ast minime aliquis horum affectiones debitò modō enarrabit , nisi prius in doctrina fundamentali physica rite fuerit

fuerit informatus, etenim factæ illæ proprietates & per experimenta artificialia productæ ad corpus humanum naturale tutò & sine ejus damno applicari haud possunt. Inter hæc quædam dantur simplicia, quæ magis participant de partibus aquofis, quorum natura est magis fluida & humida: in aliis magis prædominantur partes terreæ, quæ siccæ, insipidæ, valde porosæ, facile solubiles, omneque humidum imbibentes sunt, in aliis magis lapidosæ i. e. solidiores, duriores ac firmiores minus porosæ & difficilius solubiles; porrò non pauca inveniuntur simplicia medicamenta, quæ pariter magis participant de partibus salinis, i. e. diversimodè acutis, magis minusve angularibus, scindentibus, pungentibus, rodentibus &c. denique in aliis magis prædominiuntur habent partes sulphureæ seu pingues aliis dictæ, quæ proprium & unicum adæquatum subiectum substantiæ æthereæ sunt, in quibus naturaliter existit, ita ut quô plures tales partes sulphureæ medicamentum aliquod constituant, eo major quantitas hujus Principii activi in tali medicamento adsit.

§. XII.

Unde apparet, medicamenta sic dicta magis simplicia non ideo corpora simplicia esse, sed potius magis composita, quod ex triplici Regno per pauca quædam exempla jam demonstrandum assumam, nullibi enim v. g. in Regno minerali purissima medicamenta salina deprehendimus, quin aliae atque aliae iisdem admixta fuerint partes constitutivæ Principii

passivi minus salinæ , adeoque à potiori saltem denominatio erit desumenda , id ipsum in sulphure nativo satis sensibiliter videmus , quod partes & salinæ & terreæ & lapidose ejusdem constitutionem efficiant , inter quas tamen sulphureas prædominari docet sensualis cognitionis , quippe ex colore , inflammabilitate id manifestè cognoscitur ; nec non ex Regno vegetabili idem comprobari potest v. gr. Herba recens fumariæ , quæ ppter paucissimas partes aquosas , terreas & sulphureas mitisima salia majori in quantitate admixta habet , quod non solum per sensualē cognitionem , inspecie per gustum & olfactum constat , dum hæcce herba longè insigniori & magis sensibili sapore quam odore prædita sit , immo & per artificiale resolucionem in chymicis satis manifestè diversa proportio quantitas harum partium in hac planta innotescit , quando longe major quantitas salis per incinerationem elicitor quam oleum per destillationem . Sic folia ari , in quibus recentibus salia accerrima satis evidenter prædominantur i. e. partes salinæ cum sulphureis ferè æqualiter mixtæ , combinatae simul sunt , partes aquosæ , terreæ minori tamen in quantitate , qui vero de hisce partibus prædominantibus hac in planta amplius dubitat , iterum exploret earum proprietates sensuali cognitione & artificiali resolucione , unde certitudinem infallibiliter obtinebit , quod ex hisce foliis ari tam sal aliquod volatile i. e. simul partibus sulphureis admixtis , & odore præditum , quam fixum omni odore destitutum , elici

elici possit , qui modus investigandi & de reliquis plantis omnibus valebit.

§. XIII.

Ad Regnum animale accedentibus nobis castoreum pro exemplo examinandum sufficiat , in quo partes sulphureas cum salinis minori in quantitate mixtis prædominari nemo adeo dubitat , modo illud naribus applicet , prater has autem terreæ atque lapidose ad ejusdem constitutionem quod conferant , pariter certum est , & resolutio artificialis per spiritum vini v. g. facta , evidenter monstrat harum partium diversam proportionem . Huic adjungantur Cantharides , has autem magis participare de partibus salinis , in tantum sulphureis mixtis , ii testabuntur , quibus vesicatoria fuerunt applicata , aut infuso cantharidum usi , paucissima saltem in quantitate partes terreæ hisce combinatae simul sunt , quas juxta supra descriptum modum investigare licet .

§. XIV.

Ex quibus simplicibus diversi generis , petitis ex tribus sic dictis Regnis multifariae concinnantur formulæ , quæ variis vitiis humorum magis simplicibus atque motui vitiioso spirituum , diverso , & causis morborum internorum , & veris ac genuinis indicantibus debitò modò opponuntur , cum autem semper fere ubique plura horum occurrant indicantium , hinc singulis eorum simplex aliquod Medicamentum erit opponendum , adeoque quot indicantia in morbis fuerint , tot formularum ingredientia seu indicata rationaliter non nisi postulantur .

§. XV.

§. XV.

Nunc videamus, an medicamenta sic dicta composita diversa sub forma in officinis existentia, juxta rationalem methodum medendi i.e. juxta indicantia superius indigitata utiliter & cum ægroti emolumen-to applicari possint, quæ ante tot secula, in tot diversis climatibus adinventa, nominibusque morborum, per-sonarum, officiorum aliisque circumstantiis acciden-talibus opposita, absque consideratione specialiorum individuorum ægrotorum, eo tempore nondum in rerum natura existentium, peculiarium causarum inter-narum indicantium, & à plerisque hodie ex cœco præjudicio autoritatis inventorum, juxta nominalem cognitionem nudi nominis morbi & remedii verè empiricè applicantur; quod per exempla quædam nunc mihi demonstrandum omnino incumbit.

§. XVI.

Primum igitur locum obtineat specific. sic di-
ctum Cephal. D. Mich cuius descriptionem vide in
ejus operibus, quem pulverem practici quam plu-
rimi sine ullo discrimine in omnibus affectibus ca-
pitis cum dolore conjunctis exhibere non dubitant,
ratio, quoniam pie defunctus D. M. capiti hoc spe-
cificum dicavit: Ast minime hoc medicamentum
ut adæquatum atque sufficiens remedium in omnibus
affectibus capitum exhiberi posse, obloquitur diver-
sitas subjectorum, quam plurimi ignorant, adeoque
posthabita omni investigatione caularum internarum,
i.e. vitiis humorum atq; ad tale compositum tanquā
ad

ad sacram anchoram tumultuariē saltē confugiunt,
quod ex casu sequenti magis clarum evadet.

§. XVII.

Corripitur quidam Cephalalgia, videlicet dolore capitis tenuis spasmodicō simulque gravativō, ex quibus Symptomatibus tanquam ex signis judicantur Θia †cida manifestē prae dominantia in hoc subjecto adesse, quae Θia constituant Causam Antecedentem, hæc in motum concitant irregularem Principium actiū sentiens, sub nomine causæ proximæ, quæritur, num hoc compositum hisce indicantibus satisfaciat? ad quod respondeo, negando: siquidem neque prior neque alter indicationis scopus per hoc specific. adimpletur, quod sic demonstro, neque & neque fecul. Pœon. neque ex magister. epileptic. magister. ungu. alc. neque C. C. vel Θia †cida, vel motum Λ-acceleratum emendant ac mitigan: quod vero pretiosa in hoc composito lapidosa concernit, quamvis quidem ad †cidum temperandum alias quatenus lapidosa satis apta sint, attamen per præparationem in magisteria per Λ acid. redacta, vim suam lapidosam i. e. †cidum temperandi & destruendi revera non solum amittunt, sed propter suum nimium pretium vix amplius in usum trahi possunt, ergo omnino huic composito simplicia magis præferenda erunt, & consultius & rationi magis convenienter in ejus locum simplicia magis remedia minoris pretii & minus artificialiter pprā substituere, ut Θibis †cidis & motui Λ-accelerato specialiter legitime

C

pro-

prospiciatur, nimirum per lapidosa & præcipitantia,
nec non per anodyna, hypnotica &c.

§. XVIII.

Nunc in scenam prodeat pulv. stomach. Quercetan.
enjus ingredientia legantur apud Schröder. : non
solum autem hoc stomachicum Ventriculum corro-
borare ab Autore perhibetur , sed & mederi affe-
ctibus capitis, Cachexia, febri quartanæ &c, de cu-
jus tamen viribus generalioribus in fundamentis in-
formati , valdè dubitant : ita nulla dantur remedia
composita, quæ unicuique parti specifica fuerint, ut
cephalicum capiti, stomachic. Ventriculo , sed si quid
operantur , id alterando causas internas aut in meli-
us, aut multoties ex inepta operantis applicatione
in pejus , saltem præstant, imo raro post usum hujus
Compositi effectus subsequitur intentioni Medicire-
spondens , dum plura in eo deprehendantur ingre-
dientia quam indicantia i. e. partes sanguinis nostri
constitutivæ vitiosæ ac vicia \varnothing , quæ omnia humo-
rum vicia & \varnothing neutiquam emendare valent ; hoc
non obstante practici hunc pulverem suis ægris præ-
scribere hand verentur, quotiescumque quis de ali-
quo affectu ventriculi saltem conqueritur , non re-
spicientes diversitatem subjectorum i. e. temperamen-
torum physiologicè, & causarum internarum patho-
logicè , quorum tamen potissimum ratio habenda,
sædè ergo illi falluntur , aliosque turpiter fallunt,
qui ad imitationem inventoris promiscue suis ægris
exhibit hoc compositum , & sic satis infelicer à
parti-

particulari ad universale argumentantur : res per subsequentem casum clarior apparebit :

§. XIX.

Affligitur quis dolore stomachi gravativō , appetitu prostratō & simul concurrente vomitu biliosō , qui vomitus satis sensibiliter de præsentia & conditio-
ne vitiosorum humorum atque Δ -testantur , in
specie autem monstrant , Causam Antecedentem in
hoc subiecto esse partes Θ inas Θ lo-biliosas seu acres ,
qua ζ Principium actuum sentiens in substantia ven-
triculi commovendo , inducunt motum Δ -accelera-
tum , sub nomine causæ proximæ venientem , unde
oritur morbus intemperiei calidæ , cuius causæ jam
inversæ vomitum ut symptoma producunt ; Ex
hisce jam causis internis morbum immediate foven-
tibus & introducentibus satis evidenter elucescit præ-
fens compositum tuto & sine manifesto periculo huic
subiecto exhiberi non posse , examinemus modo e-
jusdem ingredientia , siquidem nec rad. ari neque
acor. neque pimpinell. neque cinamom. neque Θ ab-
synth. juniper. &c. tales partes constitutivas habent ,
qua ζ partes sanguinis vitiosas hoc in casu præsentes
emendare valent , motumque Δ -acceleratum comp-
pescere , sed potius magis stimulando , ut concreta
 Φ reо- Θ ina motum Δ -magis magisque acceleratum
reddunt , atque ita malum non solum nō tollitur , sed &
asperius in tali casu necessario per usum hujus remedii
efficitur : Regeris , subingredi etiam hocce compo-
situm Ocul. 69. qui vim habent absorbendi & tempe-
randi

randi humorum acrimoniam, ad quod respondeo, si
solitarie aut cum aliis convenientibus absorbentibus
dantur, illos debitum suum exerere effectum non ne-
go, ast id in præsenti composito desideratur, dum o-
culi 69. cum aliis in longe majori quantitate planè
naturæ contrariis combinantur, & sic etiam illi præ-
stare non possunt, quod debent.

§. XX.

Proinde magis applicatio medicamentorum sim-
plicium, quæ causis internis superius enumeratis dire-
ctè opponantur, & ex iis formulæ species rite concin-
netur: Scopus autē curationis, quem intendimus, non
ineptè obtinetur, primo per absorbentia & præcipi-
tantia v. gr. gelatinosa, glutinosa & propriè sic dicta
Vræa omnibus partibus & reis & Princípio activo de-
stituta, quo ipso omnes boli & Vræ sigillat. exclu-
duntur, secundo per sedativa & anodyna, ut sunt
crocata, papaverina, opia &c. prioribus minori in
quantitate commixta, dum vomitus hoc loco non ut
symptoma urgens præsupponuntur: & hinc iterum
concludo, etiam hoc in casu talia simplicia longè ma-
gis præferenda esse superius allegato composito.

§. XXI.

Pulverem stomachic. Quercetan. excipiat Elixir.
uterinum Croll. de cuius ingredientibus & præpara-
tione consule Schröder. hoc iidem practici ingrue-
nte qualicunque paroxysmò hysterico, tanquam re-
medium, quod autores raro fecellit, præscribunt, quasi
omnia subiecta fœminina juxta unam eandemque cre-
pidam

pidam forent dimensiā , hinc enim mox apparet,
quod iterum absque omnibus fundamentis judicio &
consideratione peculiarem constitutionem causarum
internarum affectuum uterinorū diversis in subjectis
frivole neglexerint ; nam quo modo quæſo hoc Eli-
xir omnes affectus hystericos , ſeu potius eorum cau-
ſas internas , quæ in tot innumeris ſubjectis in infini-
tum ſemper variant , emendare atque tollere poterit ?
videamus modo ejus ingredientia , ubi nunc castor.
nunc extract. artemiſ. nunc Θ matr. perlar. nunc ♂
angelic. anis. succin. deprehendes , jam ſupponamus
fœminam paſſione hysteria correptam , variisque ſti-
patam ſymptomatibus ut dolore rodente , pungente
& ardente , nec non respiratione plenarie fere ſup-
preſſâ , ex hiſ tanquam ex signis certo colligo , adeffe
in hoc ſubjecto Θa Θolsa cum bilioſis in tantum mix-
ta , hæ partes Θnæ diverſi generis principium acti-
vum ſentiens in ſubſtantia uteri irregulariter commo-
vent & irritant , ut ſic motus Ω magis acceleratus
existat.

§. XXII.

Quæritur ergo , num Medicus rationalis ſine
læſione conſcientiæ & famæ , nec non absque detri-
mento ægræ tale Compositum ejusmodi ſubjecto pro-
pinare poſſit ? de quo ego valdè dubito , etenim hōc
pactō vitia humorum non ſolum in primis viis exi-
ſtentia adaugentur , ſed etiam in aliis partibus inſen-
ſibiliter adhuc deliteſcentia , magis ac magis per hoc
ineptè adhibitum remedium excitantur & in actum

C 3 dedu-

deducuntur, unde idem motus ω irregularis pariter exacerbatur, & longe graviora accidentia in scenam producuntur; Crocus quidem inter hujus compositi ingredientia quoque exstat, quatenus à Schröder. pro specifico uterino habetur, ast minori saltem in quantitate, dum in hoc composito respectu aliorum ingredientium adhibetur, minime sive ut specificum, sive ut anodynum id præstare potest, quod debet, præsertim cum saltem causam proximam i. e. motum ω irregularem respiciat, neutiquam vero causæ antecedenti seu vitio humorum medeatur, quæ ex opposito à reliquis ingredientibus longè magis cumulantur.

§. XXIII.

Quamobrem potius simplicia Remedia præ compositis nobis & in hoc casu eligamus, eaque non nudo morbi nomini, sed superius recensitis causis internis, nimirum partibus Θ inis Θ lsis cum biliosis mixtis, & motui ω accelerato debito modo simul opponamus: prius itaque indicans postulat Præcipitania & Alterantia, uti sunt gelatinosa, unctuosa & puriora \forall rea, omni pinguedine iterum destituta; alteri vero satisfaciunt hypnotica, sedativa, qualia Opiata sunt quacunque sub forma ppta, quæ cum prioribus pro conditione symptomatum ritè combinata ac ægræ exhibita, magis rationaliter & feliciter sine dubio scopum præfixum adimplebunt; quid ergo mirum, quando & tales ægræ majus levamen sentiant

ant ex usu simplicium , ab aniculis collectorum , rite
& convenienter exhibitorum , quam à Medicorum
speciosis compositis , quale Compositum & præsens
Elixir. uterinum merito existit.

§. XXIV.

Possemus quidem longè plura hujus generis
composita in medium proferre , quæ ex volatilib.
fis,acribus &c. constant,& pari modo aut juxta nomen
à primo inventore inditum , aut saltem respectu no-
minis affectus quotidie perverse exhibentur , ne ve-
ro nauseam lectori creemus , ad aliam potius classem
compositorum progrediamur , quorum ingredientia
magis Vrea, lapidosa, Vfa, gelatinosa &c. sunt , quæ
tamen non adeò copiose in Autorum scriptis practi-
cis deprehenduntur , non ex alia fortassis ratione,
quam quod non pauci morbos omnes non nisi ex
Thibus, videlicet ex Tcido & Alkali oriri existiment,
& sic vitiato Tcido opponant medicamenta alkalia,
ac vice versa vitiato Alkali opponant remedia Thina
Tcida , hinc & pauca saltem talia composita , quæ ex
partibus Vreis, lapidosis , Vfis, gelatinosis &c. con-
stant, cogimur producere ; primum igitur , quod
nobis occurrit , est Vperlar. in Officinis usualis , ad
quam practici , reliquis medicamentis incassum ex-
hibitis , tanquam ad ultimum levamen confugiunt,
ob speciosam , ni fallor , denominationem , ægrisque
agonizantibus ut summum cordiale promiscue pro-
pinant , ast & hoc remedio talis practicus suo
fine frustratur , si nimirum illud externis saltem
circum-

circumstantiis, (quod ordinariè fieri solet) opponatur, minimè vero vitiosis humoribus atque specialiter peccantibus: ad rem magis declarandam sequens allegabimus exemplum.

§. XXV.

Affligitur quidam lipothymiâ aut etiam febre quartanâ, quam inappetentia, dolor ventriculi gravatus & prostratio virium concomitantur, ex hisce accidentibus præsupponuntur abundare in hoc subiecto humores magis viscidissimis, lenti, stylo autorum i. e. partes ∇ sæ cum ∇ reis & lapidosis diversimode mixtæ, principio activo sentiente magis destitutæ causam antecedentem constituentes, hi modo dicti humores viscidiores successive motum & irregularem introduxerunt sub nomine causæ proximæ: Examinemus jam hujus ∇ perlar. ingredientia, quæ sanè causis internis præsentî in subiecto minimè respondebunt, quandoquidem nec ∇ acetos. bugloss. rosar. neque manus Christ. perlat. neque ipsæ margarit. ppt. neque Syrup. granat. hosce humores viscidiores resolvere atque ad fluiditatem redigere valent, tacemus huic ∇ sic dictæ cordiali tantas inesse vires, ut defectum & verum possit restituere: Nonne iterum, si Medicus ægrotis ritè prospicere intendat, simplicia & huic composito præferenda erunt? quippe talia, quæ causis internis immediate medentur, videlicet primo viscidioribus humoribus principio activo estitutis, si remedia mitiora Thino-Ærea principio activo magis prædicta opponantur, utique majus & citius levata.

levamen ex hisce persentis et æger, quam ex tali ▽
compositâ Cordiali.

§. XXVI.

In hunc censum quoque veniat Pulv. cachectie. Quercetan. cuius ingredientia invenies apud Schröder. commendatur autem ab Autore aliquique practicis ut summum remedium ad Cachexias pellendas, tam virginum, mulierum, quam virorum, juvenum ac senum, quasi horum omnium unum idemque es-
set temperamentum i. e. miscela elementorum seu constitutio humorum atque Δ , videtur ergo autori parum referre, sive cachexia ab Fcido , sive ab hu-
moribus phlegmaticis, sive à Θ lso &c. proveniat,
modo illud detur Compositum, quemadmodum au-
tem juvenis à virgine, mulier a viro quoad partes
corporis diversas differt, ita maxima intercedit dif-
ferentia inter eorum virtus humorum atque Δ , dum
nimirum in hoc subjecto Θ lino- Fcrea constituunt Ca-
chexiam, in alio Fcida & acria, in tertio Fcrea & lapidosa
cum Ysis , & sic in infinitum hæc ipsa virtus inter se diver-
simode mixta, quomodo igitur quæso tale Composi-
tum in qualicunque Cachexia ut summum ita pro-
miscue prædicari potest remedium.

§. XXVII.

Ponamus casum: fœminam laborare Cachexia,
cujus facies pallida & tumida est; accedente dolore
gravativō ponderosō & premente, nec non postra-
tō appetitu, hæc aliave Symptoma simul præsentia
de humoribus pituitosis, phlegmaticis &c. atque de-
fectu

D

fectu & manifeste testantur, quod si igitur juniores Practici venerandorum senum vestigia prementes, hunc pulv. composit. ex limatur. & cum ♀ calcinat. fecul. radic. Ari, ambr. grif. Essent. Corall. succin. ppt. cinamom. consistentem tanquam infallibile remedium propinaverint, ex subseq. sinistro effectu colligent, se fuisse deceptos & pulv. cachect revera cachecticū fuisse i.e. Cachexiā adhuc magis adauxisse, & sanè non potest aliter evenire, quoniam causæ internæ morbum affidentes hōc ipso non emendantur, neque tolluntur, sed potius cumulantur & deteriores redduntur, potissimum cum paucissimæ foeminæ suaveolentia comode perferre possint; adeoque & hoc loco simplicia magis adæquata & idonea erunt remedia v. g. in hoc subiecto fere eadem immediate in antecedentibus jam recensita medicamenta, paucis saltem mutandis, & hinc necessariò concludo, quod pariter in praesenti, similibusve subiectis simplicia magis locum habeant, quam hocce remedium compositum.

§. XXIX.

Hisce Compositis demum annunieratus venit adeo decantatus ille liqv. C. C. succin. quem plurimi Autores in omnibus morbis sic dictis malignis, pro scopo expellendi sic dictam malignitatem suis propinant ægris, ratio facile patet, quoniam ille aliquoties secundum intentionem inventoris aliorum, que Medicorum fuerit operatus, licet multoties contrarium exeruerit effectum, o incertum & fatis funestum experimentum, ita de corio humano ludere! ut autem appareat, quare plurimi Practicorum hoc

hoc compositum in morbis acutis tam frequentius præscribant, ratio procul dubio ea erit, quod scilicet causas internas horum morborum malignorum genuinas ac veras aut ex malitia, aut ignorantia non iterum attendant, & sic ex his falsis præsuppositis, tanquam legitimis indicantibus perversam indicationem faciant, nimirum adest malignitas, ergo detur remedium malignitatē expellens, nullum autem aliud magis in usū est contra hancē malignitatē, quam benignus universalis (oder Scherwenzel) Liqv. C. C. succin. quōverò successu illud ii, qui tali Practico concreti sunt ægroti experiuntur & testantur, quando cum malignitate & vita ē corpore, & vivus ordinariē juvenis, & robustus ægrotus ē numero viventium feliciter expellitur, ideoque in sic dicta malignitate in antecedentibus quoad suam formalitatem magis declarata haudquaquam hoc compositum remedium proficuum esse, apertum est, ut id clarius pateat, pono Casum:

§. XXIX.

Incidit quidam in febrem sic dictam malignam, combinatis simul Symptomatisbus satis urgentibus, ut vomitu biliosō, dolore lancinante, urente, ardente, calore excessivō, inquietudine &c. ex his constitutio causarum internarum dignoscitur: in præsenti febre causam constituant Antecedentem Humores acres, seu clarius partes Θinæ Fido-biliosæ, Proximam verò motus Λ summe acceleratus, præsertim vitallum in sanguine, hicce motus vitiosus Λ si diutius

D 2

con-

continuetur, successive M. S. resolutionem introducit, quam pariter hic compositus Liqv. promovere insigniter valet: non solum autem hâc ratione materiam peccantem sub nomine exanthematum ordinariè purpuræ nunc rubræ, nunc albæ, petechiarum cum deliriis motibusque convulsivis &c. i. e. partes constitutivas ex M. S. resoluta violenter ad habitum corporis externum expellit, sed etiam cum hac, si nimis vires ægroti minus sufficient, ipsam vitam, minime rationem habentes Principii activi sentientis per hujus Liqv. C. C. succ. ingredientia Alia, Ωsa, acria vehementius concitati, & in motum intestinum magis acceleratum abrepti, ut hoc pacto M. S. plenaria resolutio cum morte piajuxta regulas artis subsequatur: Ejusdem dignitatis & valoris in hisce morbis sunt pariter adeo laudata in expellenda sic dicta materia peccante Composita, ut Tinct. bezoart. D.M., Ωbezoart. Buff. Mixtur. simpl. &c.

§. XXX.

Longè alia & magis tuta methodus medendi erit per medicamenta simplicia caufis internis horum morborum malignorum subvenire; talis igitur erit adornanda indicatio, non à nudo nomine deprompta, sed ab ipsa formalitate causarum internarum petita, nimis partes Φreæ, lapidosæ, Θnæ, Φreæ &c. ex M. S. resoluta provenientes, cum reliqua M. S. iterum sunt combinandæ atque couniendæ, quantum possibile i. e. quatenus nondum ad habitum corporis propulsæ; hanc autem indicationem obtinemus per sufficientia fluida,

fluida , gelatinosa , glutinosa , Varea &c. Ratione vero vitii . hæc sequitur indicatio : Motus ω intestinus summe acceleratus moderatè est compescendus , & mitigandus , cui scopo inservient sola Anodyna sub nomine Opiatorum , (quicquid etiam osores Anodynorum & Opiatorum , ex ignorantia timiditate & pusillanimitate contra eadem clamitent & invehant) pro ratione symptomatum urgentium rite inter se miscenda , hæcce simplicia si debito modo fuerint exhibita , neque purpura benigna , neque maligna erit metuenda , multo minus id , quod nos maxime terret , mors inexpectata cum horrendis symptomatibus superveniet , unde sine dubio medicamenta simplicia omnino merentur , ut huic universalis Composito præferantur , etiam in hisce morbis , ex quibus paucissimi vulgari methodo tractati reconvalescunt.

§. XXXI.

Plura equidem remedia eandem censuram merebentur , videlicet vasta atque immensa illa plurimis in Officinis extantia composita v. gr. \triangledown Carbunc. Hirundin. Zvwlf. Aperitiv. Elixir. vit. Quercetan. Elecutar. hysteric. & hujus farinæ longè plura alia , in quibus omnibus incerta & indeterminabilis virtus hæret , tam ratione excessus ingredientium , quam ob eorundem sæpè planè contrariam naturam , ubi sibi invicem diversimodè plane contraria inepte conjunguntur ; At limites dissertationis excedere merito accusandus forem , si hæcce singula seorsim fusius explicare vellem , quare sufficiat eadem saltem nominete-

nus commemorasse, cum quilibet ex methodo expli-
candi in antecedentibus jam adhibita, facile colligere
poterit, quô modô & hæcce atque plura alia composi-
ta ejusdem generis infelicem aut potius irrationalem
Medicum reddere possint Practicum.

§. XXXII.

Antequam tamen ad finem properemus, non pos-
sum siccō pede præterire superstitionē illa excogitata,
prodigiosa, ridiculosa atque à nominibus personarum,
officiorum, aliisque circumstantiis ad legitimam cu-
rationem planè nihil facientibus, inepte desumpta
Composita speciosa, quid enim stolidius, quam pilul.
Jesu, ungvent. Apostolor. pilul. Papal. & trium dia-
bolor. siquidem ab hisce personis neque adinventa,
nec unquam in usum vocata talia Composita fuere,
Electuar. Reg. Θ sacerdot. & philosophorū verò neque
hisce personis solis ratione eorundem officiorum ap-
plicantur, sed quatenus homines morbosī sunt, & sic
pariter & sartoria & futoria & mendicorum erunt re-
media, ▽ virtut. magnanimit. certe nemini-
nem virtuosum, nec lātantem, nec magnanimum ef-
ficien̄ nec efficere debent, cum non moraliter, sed
physice operentur: Proinde hæc jam recensita satis
monstroſa Composita empiriam magis sapiunt, quam
rationale Medicinam, tales enim Practici in horum
exhibitione, parum aut nihil Causas internas morbificas
attendunt, & sic non adeō differunt ab Empirico-
rum sorte, hinc rarissimè à Medicis magis rationali-
bus & eruditis in usum vocantur, quippe in plurimo-
rum

rum Compositionibus quamvis videatur aliquid in-
esse artificii , eo tamen minus inest judicii , & sanè in-
dignus titulo Medici omnino foret ille , qui non, quo-
tiescumque tulerit occasio , hisce compositis ex tem-
pore meliorem , & ad statum ægri specialem magis
accommodatam ex simplicibus valeat præscribere
formulam, modo legitime informatus prius fuerit in
naturali & reali physica , porro in hanc fluente legitimi-
ma physiologia pathologia atque regulis therapeuti-
cis; quod obiter.

c. XXXIII.

Hæc dicta sufficient , ne in re odiosa videamur
prolixiores, nec enim fuit animus medicamenta com-
posita omnia atque singula corrigere , eorumque erro-
res monstrare, ad quod Autoritas mea præsens non-
dum sufficit , optandum interim foret , ut Medici in
majori autoritate constituti illud in se susciperent ne-
gotium summè arduum , & ægrotis maximè proficu-
um , nobis enim in præsenti Disputatione, pro Exer-
citio Inaugurali suscepta , saltem juxta fundamenta
generaliora per quædam exempla demonstrandum
erat, Medicamenta simplicia magis esse præferenda
Compositis, propter diversitatem subjectorum juxta
Autores , (quod mihi licet interpretari per diversita-
tem causarum internarum) & hac neglecta , propter
miserandos & deplorandos effectus quotidie fere con-
tingentes , dum raro aut ad minimum non multoties
hodie definitione Medicinæ solemnni satisfieri observe-
tur , quando miser ægrotus sat adhuc juvenis, sat ro-
bustus,

bustus, omnibusque adminiculis ad legitimam diætam observandam abunde gaudens, per hæcce atque similia Remedia Composita nimis diu defatigatus ac delassatus, loco sanitatis conservandæ & labefactatae restituendæ sub horrendis & gravissimis symptomatibus ac cruciatibus, quietum obtinet vitæ

FINE M.



Erfurt, Diss., 1717



f

TA → 0C

nur 2 u. 4 bisher verknüpft



Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimeters
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

29. 1717/6 8.
D. B. V.
O INAUGURALIS MEDICA
E EQ,
QVOD
CAMENTA
IA COMPOSITIS
PRAEFERENDA,
QVAM
OTER OPTIMO MAXIMO,
ET AUTORITATE
E FACULTATIS MEDICÆ,
B PRÆSIDIO
INNIS PHILIPPI
YSELII,
ET MED. DOCT.
BOTAN. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMI,
SSESS. ORDIN. ET SUBSENIORIS GRAVISSIMI,
MIE IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM
OLLEGÆ, P. L. C.
PROMOTORIS AC HOSPITIS SUI
M DEVENERANDI,
O LICENTIA
EDICA HONORES ET PRIVILEGIA
CONSEQUENDI
RUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICET
FRIDERICUS MOSE,
ISLAVIA-SILESIUS,
MARTII MDCCXVII.
MAJORI COLLEGII MAJORIS,
ORIS CONSVENTIS.
OM. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPogr.

B.I.G.